

## *Paulus diaconus*

### **Historia Langobardorum**

**I, 1.** Septemtrionalis plaga quanto magis ab aestu solis remota est et nivali frigore gelida, tanto salubrior corporibus hominum et propagandis est gentibus coaptata; sicut econtra omnis meridiana regio, quo solis est fervori vicinior, eo semper morbis habundat et educandis minus est apta mortalibus. Unde fit, ut tantae populorum multitudines arctoo sub axe orientur, ut non inmerito universa illa regio Tanai tenus usque ad occiduum, licet et propriis loca in ea singula nuncupentur nominibus, generali tamen vocabulo Germania vocitetur. Multae quoque ex ea, pro eo quod tantos mortalium germinat, quantos alere vix sufficit, saepe gentes egressae sunt, quae nihilominus et partes Asiae, sed maxime sibi contiguam Europam adflixerunt. Testantur hoc ubique urbes erutae per totam Illiricum Galliamque, sed maxime miserae Italiae, quae paene omnium illarum est gentium experta saevitiam. Gothi siquidem Wandalique, Rugi, Heruli atque Turcilingi, necnon etiam et aliae feroces et barbarae nationes e Germania prodierunt. Pari etiam modo et Winnilorum, hoc est Langobardorum, gens, quae postea in Italia feliciter regnavit, a Germanorum populis originem ducens, licet et aliae causae egressionis eorum asseverentur, ab insula quae Scadinavia dicitur adventavit.

**II, 28.** Qui rex postquam in Italia tres annos et sex menses regnavit, insidiis suae coniugis interemptus est. Causa autem interfectionis eius fuit. Cum in convivio ultra quam oportuerat apud Veronam laetus resederet, cum poculo quod de capite Cunimundi regis sui soceri fecerat reginae ad bibendum vinum dari praecepit atque eam ut cum patre suo laetanter biberet invitavit. Hoc ne cui videatur impossibile, veritatem in Christo loquor: ego hoc poculum vidi in quodam die festo Ratchis principem ut illud convivis suis ostentaret manu tenentem. Igitur Rosemunda ubi rem animadvertit, altum concipiens in corde dolorem, quem conpscere non valens, mox in mariti necem patris funus vindicatura exarsit.

**III, 23.** Eo tempore fuit aquae diluvium in finibus Venetiarum et Liguriae seu ceteris regionibus Italiae, quale post Noe tempora creditur non fuisse. Factae sunt lavinae possessionum seu villarum, hominumque pariter et animantium magnus interitus. Destructa sunt itinera, dissipatae viae, tantum tuncque Atesis fluvius excrevit, ut circa basilicam beati Zenonis martyris, quae extra Veronensis urbis muros sita est, usque ad superiores fenestras aqua pertingeret, licet, sicut et beatus Gregorius post papa scripsit, in eandem basilicam aqua minime introierit. Urbis quoque eiusdem Veronensis muri ex parte aliqua eadem sunt inundatione subruti. Facta est autem haec inundatio sexto decimo Kalendas Novembris. Sed tantae coruscationes et tonitrua fuerunt, quantae fieri vix aestivo tempore solent. Post duos quoque menses eadem urbs Veronensium magna ex parte incendio concremata est.

**VI, 58.** Tunc rex Liutprandus... Hic gloriosissimus rex multas in Christi honore per singula loca ubi degere solebat basilicas construxit. Intra suum quoque palatium oraculum domini Salvatoris aedificavit, et quod nulli alii reges habuerant, sacerdotes et clericos instituit, qui ei cotidie divina officia decantarent. At vero Liutprand, postquam triginta et uno annis septemque mensibus regnum optenuit, iam aetate maturus huius vitae cursum explevit; corpusque eius in basilica beati Adriani martyris, ubi et eius genitor requiescit, sepultum est. Fuit autem vir multae sapientiae, consilio sagax, pius admodum et pacis amator, belli praepotens, delinquentibus clemens, castus, pudicus, orator pervigil, elemosinis largus, litterarum quidem ignarus, sed philosophis aequandus, nutritor gentis, legum augmentator.

## *Paulus diaconus*

### **Hymnus in honorem Sancti Iohannis Baptistae**

1.

UT queant laxis REsonare fibris  
MIRA gestorum FAMuli tuorum,  
SOLve polluti LABii reatum,  
Sancte Iohannes.

## *Laudes Veronensis civitatis*

**M**agna et preclara pollet urbs haec in Italia  
In partibus Venetiarum, ut docet Isidorus,  
Que Verona uocitatur olim ab antiquitus.

Per quadrum est compaginata, murificata firmiter;  
Quadraginta et octo turrets fulgent per circuitum,  
Ex quibus octo sunt excelsae, quae eminent omnibus.

Habet altum laberintum, magnum per circuitum,  
In quo nescius ingressus non ualet egredere,  
Nisi igne cum lucerne uel a filo glomere.

Foro lato spatioso sternuto lapidibus,  
Vbi quattuor in cantus magni instant fornices,  
Plateae mire sternutae de sectis silicibus.

Fana et templa constructa ad deorum nomina,  
Lunis, Martis et Mineruis, Iouis atque Veneris,  
Et Saturni siue Solis, qui prefulget omnibus.

Et dicere lingua non ualet huius urbis scemata:  
Intus nitet, foris candet circumsepta laminis,  
In aere pondos deauratos, metalla haud communia.

Castro magno et excelso et firma pugnacula,  
Pontes lapideos firmatos super flumen Atesis,  
Quorum capita pertingunt in orbem ad oppidum.

Ecce, quam bene est fundata a malis hominibus,  
Qui nesciebant legem dei nostri, atque uetera  
Simulacra uenerabant lignea, lapidea.

Sed postquam uenit ergo sacer plenitudo temporum,  
Incarnauit deitatem nascendo ex uirgine,  
Exinaniuit semet ipsum, ascendit patibulum.

Inde depositus ad plebem Iudaeorum pessimam,  
In monumento conlocatus, ibi mansit triduo  
Inde resurgens cum triumpho sedit patris dextera.

Gentilitas hoc dum cognouit, festinauit credere,  
Quia uere deus caeli ipse terrae conditor,  
Qui apparuit in mundo per Mariae uterum.

Ex qua stirpe processerunt martyres, apostoli,  
Confessores et doctores et uates sanctissimi,  
Qui concordauerunt mundum ad fidem catholicam.

Sic factus et adimpletus est sermo Dauiticus,  
Quod caeli clariter enarrant gloriam altissimi  
A summo caelorum usque ad terrae terminum.

Primum Veronae predicauit Euprepis episcopus,  
Secundus Dimidrianus, tertius Simplicius,  
Quartus Proculus confessor, pastor et egregius.

Quintus fuit Saturninus et sextus Lucilius;  
Septimus fuit Gricinus doctor et episcopus;  
Octauus pastor et confessor Zeno martyr inclitus.

Qui Veronam predicando reduxit ad baptismum,  
A malo spiritu sanauit Galieni filiam,  
Boues cum homine mergentes reduxit a pelago.

Et quidem multos liberauit ab hoste pestifero,  
Mortuum resuscitauit ereptum ex fluuio,  
Idola multa destruxit per crebra ieiunia.

Non queo multa narrare huius sancti opera,  
Quae a Syria ueniendo usque in Italiam,  
Per ipsum omnipotens deus ostendit mirabilia.

O felicem te, Verona, sic ditata et inclita,  
Qualis es circumuallata custodibus sanctissimis,  
Qui te defendant et expugnent ab hoste iniquissimo.

Ab oriente habes primum protomartyrem Stephanum,  
Florentium, Vindemiale, et Maurum episcopum,  
Mammam, Andronicum et Probum cum quadraginta  
martyribus.

Deinde Petrum et Paulum et Iacobum apostolum,  
Precursorem et baptistam Iohannem, et martyrem  
Nazarium una cum Celso, Victore, Ambrosio;

Inclitos martyres Christi Geruasium et Protasium,  
Faustinum atque Iouitam, Eupolum, Calocerum,  
Domini matrem Mariam, Vitalem, Agricolam;

In partibus meridianis Firmum et Rusticum,  
Qui olim in te susceperunt coronas martyrii,  
Quorum corpora ablata sunt in maris insulis.

Quando complacuit deo, regi inuisibili,  
In te sunt facta renouata per Annonem presulem,  
Temporibus principum regum Desiderii et Adelchis.

Qui diu morauerunt sancti, non reuersi sunt,  
<...>  
<...>

Quorum corpora insimul condidit episcopus  
Aromata et galbanum, stacten et argoido,  
Myrra et gutta et cassia, et tus lucidissimum.

Tumulum aureum coopertum circumdat centonibus,  
Color interstinctus mire mulcet sensus hominum,  
Modo albus, modo niger inter duos purpureos.

Haec, ut ualuit, parauit Anno praesul inclitus,  
Proba cuius flamma claret de bonis operibus  
Ab Austriae finibus terrae usque Neustriae terminos.

Ab occidente custodit Syxtus et Laurentius,  
Ypolitus, Apollinaris, duodecim apostoli  
Domini, magnus confessor Martinus sanctissimus.

Iam laudanda non est tibi urbis in Ausonia,  
Splendens, pollens et redolens a sanctorum corpore,  
Opulenta inter centum sola in Italia.

Nam te conlaudat Aquilegia, te conlaudant Mantua,  
Brixia, Papia, Roma, simul et Rauenna,  
Per te portus est undique in fines Liguriae.

Magnus habitat in te rex Pipinus piissimus,  
Non oblitus pietatem aut rectum iudicium,  
Qui bonis agens semper cunctis facit prospera.

Gloriam canamus deo, regi inuisibili,  
Qui talibus te adornauit floribus mysticis,  
In quantis et resplendes, sicut sol irradians.

Sancte Zeno, ora pro me et cunctis hominibus.